

Ogier Ghislain de Busbecq „Legationis Turcicae Epistulae“

Vorbemerkung:

Als die Türken gegen Wien vorrückten, versuchten die Habsburger die Bedrohung ihres Reiches durch einen Waffenstillstand hinzuhalten. Um diesen auszuverhandeln, schickte Ferdinand I. eine Delegation nach Konstantinopel. Die Leitung dieser Gesandtschaft oblag dem jungen **Ogier Ghislain de Busbecq**. Der an verschiedenen Universitäten ausgebildete Adelige konnte vorerst einen Waffenstillstand von 6 Monaten erwirken.

Später übernahm er auch noch eine 2. Gesandtschaft nach Istanbul (1555 –1562), in welcher er einen achtjährigen Waffenstillstand durchsetzen konnte.

Die Erlebnisse und Eindrücke, die er bei diesen Aufenthalten fern der Heimat gewonnen hatte, schilderte er in 4 fiktiven Briefen an einen ehemaligen Studienkollegen.

DAS LEBEN IN EINER HERBERGE

Tempus est, ut de diversoriis, quibus utebatur, aliquid dicam: nam id quidem fortasse iam dudum requisiris¹.

Hic² diverti in diversorium publicum. *Caravasarae* Turcae vocant. Hoc genus in ea regione usitatissimum: vastum est aedificium, longius aliquanto quam latius;

in cuius medio patet area ponendis sarcinis et camelis, mulis carrisque collocandis. Hanc aream plerumque circumcirca murus ambit, tres plus minus pedes altus, parieti, quo totum aedificium clauditur, haerens et inaedificatus. Eius muri summa superficies aequa est patetque in latitudinem pedes circiter quattuor. Hic Turcarum cubilia sunt; hic c(o)enacula; hic rem expediunt culinariam (nam in pariete, quo totum aedificium contineri dixi, foci subinde sunt inaedificati) nulla re a camelis, equis reliquisque iumentis alia seiuncti quam eius muri spatio. Ita ligatos habent equos, ut capite et tota cervice supra eum emineant dominisque se calefacientibus aut etiam cenantibus adstent, velut ministri; interdum panem vel malum, sive quid aliud, de manu eorum capiunt.

In eodem muro lectos sibi sternunt: tapetem inprimis explicant, quem ea de causa aptatum ephippiis circumferunt, huic iniciunt penulam: cervical praebet equestris sella: veste talari pellibus suffulta, qua vestiuntur die, teguntur noctu.

Nihil ibi secreti: omnia fiunt in propatulo: neque quicquam ab omnium conspectu, nisi noctis tenebris, submovetur. Ab hoc diversorii genere abhorrebam, ut a qua re maxime: quod Turcarum omnium oculi in nos conicerentur nostros ritus nostramque consuetudinem admirantium.

DIE ZEITEINTEILUNG

Restabat unum incommodum, quod nobis somnus misere interrumpebatur. Cum surgendum esset mane, et quidem aliquanto ante lucem, fiebat, ut duces nostri Turcae splendore lunae diluculum mentientis decepti non multo post mediam noctem magno tumultu nos excitarent. Neque enim horae sunt Turcis, quibus temporum, neque milliarum³, quibus locorum spatia distinguant. *Talismannos* habent, hominum genus templorum ministerio dicatum; hi mensuris utuntur ex aqua. Quibus postquam adventari auroram cognoverunt, clamorem tollunt e celsa turri in eum usum constructa; quo homines ad venerandum Deum hortantur et

¹ requisiris: (fiktiv) angesprochen ist hier ein Freund und Studienkollege (Nicola Michault); die 4 Briefe über die Zeit im Osmanischen Reich wurden 1581 u. 1582 zuerst unter dem Titel „Itinera“ gedruckt, ab 1589 unter dem Titel „Epistolae“.

² hic: gemeint ist hier eine Karawanserei bei Nissa

³ milliarium, i n.: Meilenstein

accersunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum solis et meridiem: et item inter meridiem et occasum ; postremo sole occidente voce utuntur acutissima, eam non iniucunda modulatione vibrantes ; quae longius, quam credi possit, exauditur. Sic totus dies Turcis in quattuor spatia dividitur, maiora et contractiora. Noctis omne tempus incertum est. Decepti (ut dixi) fulgore lunae nostri duces, cum procul abesset solis exortus, vasa conclamabant. Lectus, tentoria coniciebantur in currum, equi iungebantur, accincti paratique profectionis veluti signum exspectabamus. At nostri Turcae, animadverso errore, sua cubacula somnumque repetierant. Sic mihi magno molimine erant retexenda omnia, quae erant composita: aut pleraque noctis pars in gravi frigore, magna cum molestia , traducenda.

AUDIENZ BEI SULTAN SÜLEYMAN I (REG. 1520 – 1566)

Qui postquam venit, sumus ad eum introducti. Sed ille nec orationem, nec rationes nostras, nec mandata animo aut fronte satis benigna suscepit. Sedebat ipse in solio perquam humili, ab humo haud altiore uno pede. Erat illud instratum preciosissima veste stragula pulvinisque exquisito opere elaboratis. Iuxta erant arcus et sagittae. Frons (ut dixi) minime laeta tristisque, sed tamen plena maiestatis severitas .

Singuli, ut ingressi sumus, ad eum a cubiculariis eius deducti sumus brachia nostra tenentibus. Posteaque veluti deosculata eius manu ad parietem oppositum cecisim ita sumus reducti, ne illi tergum aut ullam posterioris corporis partem obverteremus. Tunc ea me, quae volui, dicentem audivit. Sed cum expectationi eius non responderent, veluti fastidians nihil aliud respondit quam “Giusel, Giusel” : hoc est “pulchre, pulchre”. Ita sumus domum dimissi.

Erat eius aula perquam frequens. Aderant magnis muneribus praepositi multi. Aderant praetoriani equites omnes. Gianizarorum⁴ magnus numerus. Sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex suis virtutibus et fortibus factis; natalibus nemo a reliquis distinguitur: honos cuique pro muneris et officii, quod administrat, ratione defertur: nullum ibi de loco certamen; muneris genus, quo fungitur, suum cuique locum assignat. Munera vero et officia princeps ipse distribuit. In quo non divitias, non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cuiusquam aut multitudinis iudicium moratur, sed merita considerat, sed mores ingeniumque atque indolem intuetur. Ex sua virtute unusquisque ornatur. Suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingat pro arbitrio, in manu habet. Qui rerum primas a principe tenent, fere sunt pastorum et bubulcorum filii. Sic ea in gente dignitates, honores, magistratus virtutum et meritorum praemia sunt: improbitas, ignavia, inertia nullo honore pensantur, iacent contemnunturque. Ergo illi rebus gestis florent, dominantur, imperii fines cottidie proferunt. Apud nos alii vivitur moribus, virtuti nihil est relictum loci: omnia natalibus deferuntur; opinione natalium omnes honoris aditus occupantur.

Nunc mecum maximam multitudinem turbinatorum capitum spectra, multis candidissimae bombycinae⁵ telae spiris involutorum, nitidissimum ex omni genere et colore vestitum , fulgentia omnia auro, argento, purpura, serico; longum esset omnia persequi. Nihil umquam vidi, quod iucundius oculis occurreret. In tanto tamen luxu, magna simplicitas et parsimonia: vestium omnium cuiusque ordinis una forma: nihil limborum, nihil nugarum, ut apud nos solet, assuitur; quod magno constat et triduo deteritur. Pulcherrimae illic vestes sericae; vel adeo palmatae; quibus utuntur plurimi. Manupretium est ducatus⁶. Illi nostram vestiendi rationem non minus mirabantur, quam nos illorum. Vestitu utuntur prolixo et fere ad talos demisso. Vestitus contra noster adeo curtus et brevis, ut eas partes aperiat, quas natura latere voluit ; eaque re parum decorus ; huic accedit quod, nescio qua ratione, demere aliquid de statura et brevitatem addere videtur.

⁴ Gianizari m.: die Janitscharen (gefürchtete Garde)

⁵ bombycinus 3: seiden, aus Seide

⁶ ducatus,i m.: (mittelalterliche) Goldmünze

Inprimis vero in tanta multitudine silentium et modestia non mediocrem mihi laudem mereri videbantur. Nullae ibi voces, nullum murmur, quale incompositae multitudinis esse solet: nulla concursatio. Summa quiete quisque sui ordinis locum tuebatur. Sedebant summa capita, quae ipsi *Aga* vocant, praefecti, chiliarchae⁷, tribuni, centuriones. Reliquum vulgus stabat.

KULINARISCHE ENTDECKUNGEN

Sed ea est eorum⁸ frugalitas, gulae minime studentium: quibus si sal sit et panis alliumque aut cepa aut acidi lactis genus, quod isti *Jugurtham* dicunt, nihil requirant praeterea. Lac illud diluunt aqua frigidissima panemque interunt: eoque utuntur in magno aestu et siti. Cuius sane utilitatem nos quoque in magnis caloribus saepe experti sumus. Cibus is cum palato et ventriculo gratissimus est; tum ad extinguendam vehementiorem sitim vim habet admirabilem. Magna eius copia passim venalis est, ubicumque sunt *CARAVASCIARA*; hoc est diversorium Turcarum et aliorum obsoniorum.

Turcae calentes cibos aut carnes, dum peregrinantur, non desiderant. Obsonia sunt ista: lac acidum, caseus, siccata pruna, persica, cydonia⁹, ficus, uvae passae, corna¹⁰. Haec omnia exponuntur in fictilibus scutellis, ex aqua pura cocta. Unusquisque, quod magis arriserit, sibi comparat vesciturque illis fructibus cum pane pro obsonio. Quibus absumptis aquam, quae superest, vertit in potum. Sic illis minimo impendio cibus et potus constant.

Sollemnes eorum epulae fere non sunt nisi e libis, placentis et reliquis dulciariis; item oryzae multis ferculis. Huc caro vervecina¹¹ et gallinae accedunt. Nam capus¹² animal adhuc ignotum est Turcis. Phasianorum vero, turdorum, ficedularum et similium ne auditum (est) quidem nomen.

Unum tamen potionis genus, ne quid indictum relinquam, non praeterierim. Capiunt uvam passam, eam mola subigendam curant; ita subactam et contritam iniciunt in vas ligneum: deinde superfundunt certam portionem calentis aquae miscentque: tecto diligenter vase patiuntur fervere uno atque altero die.

Ea potio est gratissima, praesertim ubi multa nive, quae Constantinopoli nullo tempore desit, fuerit refrigerata; *Arab sorbet* vocant, hoc est, potionem Arabicam.

Sed ea diutius servari non potest; mox enim plane acescit. Tentat caput pedesque non minus quam vinum: ideoque Turcarum religione damnatur.

⁷ chiliarches, ae m. (griech.): Kriegshauptmann

⁸ eorum = Turcarum

⁹ cydonia (sc. mala): Quitten

¹⁰ cornum, i n.: Kornelkirsche

¹¹ vervecinus 3: vom Hammel (stammend)

¹² capus: Habicht, Jagdfalke